

## De Genere *Orthochile* Latr.

In Insectis Dipteris

### Nota.

In Italia, praesertim media, dipteri speciem frequenter legitur generi Latreilliano *Orthochile* referendam, et sciens, genus hoc unica specie europaea conditum esse, seu *Nigrocaeruleae*, istae, specimina Italica pertinere credens, nomine antiquo distincta, in collectione mea locavi; nec iisdem attente studui, nisi quando ex insula Melita, exemplaria nonnulla accepi speciei congeneris sed certe distinctae.

Tunc ut scirem si parmensis vel melitensis, speciem auctorum repraesentabat, eorum descriptiones consulendo, in certitudinem veni, speciem antiquam, a generis fundatore vix adumbratam, sed a Meigenio et Macquartio idonee et aequaliter descriptam, diversam esse a specie quae in diagnosi Walkeri denotatur: sed quod magis interest, etiam cognovi, species ambas Italiae mediae et meridionalis, neque ad unam neque ad alteram auctorum pertinere.

Inde genus hoc Dolycopinorum species quatuor europaeas hic et nunc continet, quarum distinctionis characteres praecipuos oportet adnotari, ut facio

- A. Tibiae posticae totae nigrae: intermediae fulvescentes, apice nigricante. — Sp. 1. Italica *michi*.
- AA. Tibiae posticae in medietate basali magis vel minus late rufescentes: intermediae totae, etiam apice, rufescentes.
- B. Tarsi omnes, etiam basi anticorum, nigri.  
Lamellae anales (maris) fulvae. — Sp. 2. *Nigrocaerulea* Latr.
- BB. Tarsi quatuor anteriores basi late rufescentes, vel saltem antichi metatarso rufo.  
Lamellae anales (in mare) nigricantes.

- C. Tarsi quatuor anteriores basi late rufescentes.  
Femora intermedia late rufa basi nigricante.

Sp. 3. *Schembrii mihi.*

- CC. Tarsi intermedii toti nigri: antichi metatarso et non toto rufescente. —

Femora intermedia late nigra, et apice tantum rufa. —

Sp. 4. *Walkerii mihi.*

Specierum distinctio in diagnosibus sic statuenda.

- Sp. 1. *O. Italica* ♂ ♀ Rnd.

*Nigrocaerulea* ♀ var. Macq. — ♂ ♀ Rndn. (olim). Nigro-virens submetallica — Antennae nigrae — Palpi nigricantes picei — Pedes antichi, femoribus nigro-olivaceis apice anguste rufescente: tibiis totis rufescentibus; tarsis nigris, ima basi fusco rufescente. — Pedes intermedii femoribus extrinsecus rufescentibus, intus magis vel minus late nigro-olivacea; tarsis totis nigris. — Pedes postici toti nigro-olivacei, geniculis tantum angustissime rufescentibus.

Lamellae anales (in mare) nigricantes.

Vulgaris in Italia media tempore aestivo, in floribus praesertim *Chrysanthemi* *Leucanthemi* legenda.

- Sp. 2. *O. Nigrocaerulea* Latr. Mgn. Macq.

(Non Walk. nec Rndn.)

Similis *Italicae* et sequentibus, sed distinctissima, a prima, tibiis intermediis etiam apice rufis; posticis a basi ad medium circiter rufescentibus. — Tarsis totis etiam basi anticorum, nigris. — Lamellis analibus (maris) rufis; ab aliis vero congeneribus pariter differt, tarsis omnibus omnino nigris, et lamellis marium rufis.

Rara in Gallia.

- Sp. 3. *O. Schembrii* Rnd.

Similis duabus praecedentibus, tamen satis distincta; ab *Italica*, tibiis intermediis etiam apice rufescentibus: posticis basi plus minusve late rufis: tarsisque intermediis ad basim distincte et late rufescentibus.

A *Nigrocaerulea* vero parater distinguendi; Tarsis quatuor anterioribus basi late rufa; et lamellis analibus (in mare) nigricantibus.

In insula Melita a Dr. Schembri lecta, ubi non rara videtur, nam exemplaria nonnulla utriusque sexus mihi communicata fuerunt.

---

Sp. 4. *O. Walkeri*. Rndu.

*Nigrocaerulea* Walk. (non alior.)

Similis congeneribus, tamen ab omnibus facile distincta.

Ab Italica differt. — Tibiis intermediis etiam apice rufis — et Tibiis posticis, basi late rufescentibus.

A *Nigrocaerulea*, tarsis anticis basi rufa in utroque sexu, et lamellis analibus (in mare) nigricantibus.

A *Schembrii*, tarsis intermediis late et distincte rufis ad basin et femoribus intermediis nigris apice rufo, non rufa basi nigra.

Rara in Anglia.

Oportet hic considerare, constantia, non distantia, characterum validitatem, in speciebus entomologicis distinguendis, metiri.

Parma 4 Martii 1858.

*C. Rondani.*

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Linnaea Entomologica](#)

Jahr/Year: 1859

Band/Volume: [13](#)

Autor(en)/Author(s): Rondani C.

Artikel/Article: [De Genere Orthochile Latr. In Insectis Dpteris Nota 315-317](#)